



# The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MAPUTENSIS ET ALIARUM IN**

**MOZAMBIKO<sup>\*</sup> NOVAE PROVINCIAE ECCLESIASTICAE IN DICIONE MOZAMBICANA**

**DUAE CONSTITUUNTUR, NOMINE BEIRENSIS UNA ET NAMPULENSIS**

**ALTERA, MAPUTENSIS VERO VELUTI EX INTEGRO CONSTITUITUR** Quo efficacius Christifidelibus

prospiceretur Mozambicanis illaque in regione opus evangelizationis expeditius redderetur, iure quidem propositum est nuper, ut et ecclesiasticae eiusmodi locorum circumscriptiones nova ratione definirentur et duae illic novae Provinciae perquam utiliter constituerentur, quarum Sedes episcopales Beirensis et Nampulensis dein metropolitanae essent. Hac de causa, ex sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide negotiis praepositorum, quae et eorum votis congruit quorum interest quamque confirmando ratam facimus, vi et potestate Nostra Apostolica haec per has Litteras statuimus atque iubemus.

Ecclesiasticas memoratae regionis Mozambicanae circumscriptiones ita ordinamus, ut tres posthac ibi sint Provinciae Ecclesiasticae. Propterea, Provinciam Ecclesiasticam Maputensem velut ex integro constituentes, decernimus ut posthac ipsa constet tum metropolitana Sede Maputensi tum Ecclesiis ei suffraganeis Inhambaniana atque Xai-Xaiensi. Simil vero Provincias Ecclesiasticas ibi condimus *Beirensem* et *Nampulensem* cognominandas, cuius utriusque propriam Sedem hucusque episcopalem ad dignitatem metropolitanam nunc evehimus, dum praescribimus ut prior novarum Provinciarum constet sive sua metropolitana Sede Beirensi sive Ecclesiis ei suffraganeis Quelimenensi ac Tetensi, altera autem sive metropolitana Sede Nampulensi sive Ecclesiis Lichingaensi ac Pembana, quae ei suffraganeae erunt Sedes. Item Praesules Beirensis et Nampulensis dignitate archiepiscopali ac Metropolitarum propria a Nobis exornantur, qui congruis iuribus et privilegiis proinde fruentur necnon suis obligationibus ad statutas normas adstringentur. Ad effectum denique omnia, quae hic lege sanximus, adducat venerabilis Frater Franciscus Colasuonno, Archiepiscopus titulo Truentinus et in Civitate Mozambicana Delegatus Apostolicus, aut aliis ecclesiasticus vir ad id delegatus ab eo, necessariis factis facultatibus. Quod reliquum est, commonefacimus ut, plane re peracta, certa veraque singulorum de ea documentorum exempla ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide prompte transmittantur. Has utcumque Litteras Apostolicas volumus et nunc et in posterum ratas esse suosque effectus habere, contrariis quibuslibet non obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

DERMOT J. RYAN, ARCHIEP. DUBLINEN.

*S. Congr. pro Gentium Evang. Pro-Praefectus*

\*A.A.S., vol. LXXVI (1984), n. 10, pp. 835-836

© Copyright 1984- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana